

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Karl Franz Christian Wagner

**Memoriam Viri Perillustris Ioannis Petri Bucheri ... Academiae Marburgensis
Auctoritate Et Nomine Civibus commendat Car. Franc. Christ. Wagner**

Marburgi: Bayrhoffer, 1820

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746238924>

Druck Freier  Zugang





II - 1629^{18.}

M E M O R I A M
V I R I P E R I L L U S T R I S
IOANNIS PETRI BUCHERI

IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS, AUGUSTISSIMI ELECTORIS IN
REGIMINE AB INTIMIS CONSILIIS, PROFESSORIS IURIS PUBLICI
ORDINARI, ORDINIS IURISCONSULTORUM ASSESSORIS, SOCIE-
TATIS LATINAE ALTORFIENSIS SODALIS ORDINARI, ATQUE
SOCIETATI RERUM NATURALIUM STUDIOSAE MARBURGENSI
HONORIS CAUSA ADSCRIPTI

A C A D E M I A E M A R B U R G E N S I S

A U C T O R I T A T E E T N O M I N E

C I V I B U S

C O M M E N D A T

C A R . F R A N C . C H R I S T . W A G N E R

PHIL. D. LITERARUM GRAECARUM LATINARUMQUE, NEC NON ELOQUENTIAE ET
POESEOS PROP. F. ORD. SOCIETATISQUE RERUM NATURALIUM STUDIOSAE
MARBURGENSIS SODALIS EXTRAORDINARIUS.

M A R B U R G I ,

T Y P I S B A Y R H O F F E R I M D C C C X X .

Ruhkopfio v. Cel.

S. P. G.

aut or

Dipl. II. 1629. 18.

BRANDENBURG
HISTORICUS
THEODORUS HETZELIUS
1724. 12. 13. BIBLIOTHECA
BRANDENBURGICAE

Labitur occulte fallitque volatilis aetas,

Et nihil est annis velocius.

Ovid. Met. X, 519.

Non omnis moriar: multaque pars mei
Vitabit Libitinam.

Ita quidem poeta Venusinus *) magnifico, immortalibus
ingenii operibus innixo, sensu abreptus, se suique no-
minis memoriam non prorsus interituram esse, sed
gloriam, quam sibi lyricorum poetarum inter Romanos
principi pepererit, aeternam fore auguratur. Eandem
sententiam invenimus quoque ab ipso expressam in
praeclarissimo illo Maeccenatis nomine insignito car-
mine, ubi, se singens in alitem transformatum ad
aethera eniti,

*) Carm. III, 30, 6 sq.

Non ego pauperum, inquit,
Sanguis parentum, non ego, quem vocas,
Dilecte Maecenas, obibo,
Nec Stygia cohibebor unda *).

Et profecto animi dotibus praestanti atque quovis doctrinarum genere quam maxime exculto viro quod maius praemium contingere potest, quam si sibi persuasum habeat, nominis sui memoriam haud iri oblitteratum, operibusque ab ipso profectis apud seram adhuc posteritatem se in honore aliquo esse futurum numeroque. Atque non nisi inde factum est, ut alii quoque poetae ingenio exellentes, Horatium imitati, idem de se gloriari ausi sint, cum quidem maximum, quem sperare possent, laborum suorum existimantes fructum. Ita sane Ovidius,

Parte tamen, inquit **), meliore mei super alta
perennis.

Astra feror.

*) Carm. II, 20, 5 sq.

**) Metam. XVI, 845.

Alioque loco *) apud cundem haec leguntur:

Dumque legar, mecum pariter tua fama legetur,

Nec potes in maestos omnis abire rogos.

At vero eiusmodi famam perennem qui appetunt,
non scriptis modo in publicum emittendis, non libris
solum praeclare compositis eam sibi confidere possunt,
sed alios quoque instituendo, eorumque animos litera-
rum sensu formando doctrinisque excolendo; si quis
autem praeterea vitae integritate ac morum probitate
eminet, cum, cuius nomen non solum omnium cele-
bretur sermone, sed ad posteros quoque transmittatur,
dignissimum esse, quis est, qui dubitet? Maximis igit-
ur laudibus ornandus est is, cuius memoriae civibus
commendandae hae p^lagulae destinatae sunt, qui que
per tot annos huius Universitatis literariae ornamentum
fuit decusque, et quem, quamvis aetate decrepita nobis
eruptus sit, tamen omnes probitatis honestatisque sensu
imbuti, atque, quis honor doctrinae eruditioique soli-
diori tribuendus sit, haud ignari, a nobis abeunte

*) Trist. V, 14, 5 sq.

non sine luctu prosequuti sunt lacrymisque. Extinctus autem est humanitatisque conditionem explevit

VIR PERILLUSTRIS

IOANNES PETRUS BUCHERUS,

IURIS UTRIUSQUE DOCTOR, AUGUSTISSIMI ELECTORIS IN
REGIMINE AB INTIMIS CONSILIIS, PROFESSOR IURIS PUBLICUS
ORDINARIUS, ORDINIS JURISCONSULTORUM ASSESSOR,
SOCIETATIS LATINAЕ ALTORFIENSIS SODALIS ORDINARIUS,
ATQUE SOCIETATI RERUM NATURALIUM STUDIOSAE
MARBURGENSI HONORIS CAUSA ADSCRIPTUS,

in quo omnia, quae supra laudavimus, erant coniuncta,
siquidem non solum scriptis, quae edidit, haud illis
quidem voluminum magnitudine insignibus, at argu-
menti praestantia excellentibus, doctrinae atque erudi-
tionis famam existimationemque consequutus est, sed
disciplinarum quoque, quibus iurisprudentia continetur,
tradendarum provinciae in pluribus Universitatibus li-
terariis non sine magno praefuit honore; vivendi deni-
que ratione, integra prorsus atque nulli labi obnoxia,
sensusque simul rectos, generosos ingenuosque num-

quam non prodente, quem omnes amore veneratione-
que maxima prosequerentur, se praestitit dignum.

Natus vero est BUCHERUS anno saeculi proxime
superioris XL. die X. Mensis Augusti Cassellis patre
Ioanne Friderico Buchero, qui initio quidem medici
vulnerarii artem ibi exercuerat, deinde vero a Fride-
rico I. Sveciac Rege atque Landgravio Hassiae famuli
cubicularii munere erat ornatus, matreque *Catharina*
Elisabetha, e gente *Schirlingia* oriunda, cuius pater
in inferioris Hassiae vico coetum sacrum regebat.

Eas, quibus aetas puerilis imbui et ad humanita-
tem formari solet, artes in Paedagogio, quod Cassellis
floret, NOSTER edoctus, cum eos iam fecisset profectus,
ut ad altiora posset eniti, m. Martio, anno superioris
saeculi LV. Collegii Carolini, quo urbs eius patria tum
erat ornata, civibus adscriptus est, atque, quae ipsius
erat diligentia atque industria, brevi tempore, Wetze-
lio in primis, Stegmanno et Prizerio ducibus, et literis
humanioribus, et omnibus iis disciplinis, quibus illi
initiati sint necesse est, qui praelectionibus academicis
non sine fructu interesse cupiunt, adeo excoluit ani-

mum, ut annum aetatis decimum septimum vixdum egressus spatia academica posset intrare.

Universitas literaria, quae urbis Goettingae decus est atque ornamentum, cum Georgii II. liberalitate et munificentia atque Munchhusii cura indefessa iudicio-que acri iam tum inter ceteras literarum Universitates, velut inter ignes luna minores, fulgeret, fieri non potuit, quin NOSTER, literarum amore quam maxime ductus, atque has non a limine tantum salutare, sed eorum adyta, si fieri posset, adire propositum habens, illuc se conferre, atque viris doctissimis, qui tum Professorum cathedras ibi ornabant, praeceuntibus arduam difficilemque ad earum templa deducentem tentare viam apud animum constitueret. Anno igitur superioris saeculi LVII. Goettingam profectus civiumque academicorum albo inscriptus, iurisprudentiae cum dicasset vitam, summa diligentia omnibus illis interfuit preelectionibus, quibus ad illam disciplinam penitus percipiendam ullo modo poterat adiuvari. Illustrabant vero iurisprudentiam in illa Universitate literaria tum maxime Meisterus, Ayrerus, Bochmerus, Puetterus, Selchovius, Clapro-

thius Becmannusque, Viri doctrinae eruditionisque fama, qua vigebant, ita celebrati, ut eorum nomina haud facile ulla umquam abolere valeat vetustas. Horum autem primus praeibat NOSTRO in institutionibus iuris Romani, in Pandectis atque in iure criminali; Ayrerus in iure Germanico privato publicoque, et Boehmerus in iure feudali atque canonico. Frequentabat BUCHERUS practerea scholas Puetteri, historiam imperii Germanici, civitatum, quae foederi Germanico adscriptae sunt, ius publicum, atque theoriam processus explicantis: Selchovio duce secunda vice operam dabat iuri Germanico privato, atque assiduus auditor erat Becmanni senioris, ius naturae et processus civilis theoriam exponentis; Claprothius tandem, cuius quoque hospitio utebatur, ipsi ad praxin iuridicam muniebat viam.

Ita quidem in iis disciplinis, quibus iuris consulti versati sint necesse est, addiscendis prorsus occupatus, neutiquam tamen eas doctrinas neglexit, quae vel naturae obscuritatem illustrant, vel placita philosophorum examinant, quarum magistrum habuit Hollmannum; recentiorumque etiam linguarum accuratiorem cognitio-

nem, cum sibi persuasum haberet, viro vere literato doctrinaque exculto omnino necessariam esse, ducibus Colomio in Francogallica, atque Totzio in Anglica discenda haud sane spernendam posuit operam.

Academicarum disciplinarum curriculo hac ratione naviter strenueque confecto, BUCHERUS larium quidem familiarium sedem parentumque amplexus repetere apud animum constituerat: at enim vero comes terrarum Stenofurto-Benthemensium tum temporis virum a doctrina instructorem cum quaereret, cuius disciplinae duo ipsius filii traderentur, Ayrerio Claprothioque auctoribus NOSTER, illorum regendorum instituendorumque provinciae qui praeficeretur, iudicatus est dignus *); cui quoque tanta cura praefuit assiduitateque, ut tertio iam, postquam eam suscepisset, anno maiore meritorum suorum condecoraretur praemio. Vacua nimirum cum iam inde ab anno superioris saeculi LVIII. cathedra Professoris iuris secundarii in Arnoldino, quod Stenofurti florebat, fuisset Gymnasio, ipse a rege Magnae Britanniae, cui

*) Ao. MDCLX.

terrae illae pignori obligatae erant, comitibus terrarum Stenofurto - Benthemensium Teclenburgensiumque suffragantibus, illam qui ornaret, evocatus est *). Summos igitur in iurisprudentia honores postquam Harderovici consequutus erat, illam Professoris provinciam adiit **), ita tamen, ut usque ad annum superioris saeculi LXVIII. filiis comitis instituendis regendisque suam pergeret impendere curam.

Iam vero de eruditione doctrinaque, qua NOSTER animum excoluerat, ita percrebuerat fama, ut in aliis quoque civitatibus existerent, eam qui vel in suum ipsorum, vel in reipublicae optarent convertere usum. Etenim in Universitate literaria Teutoburgensi tertia iurisprudentiam profitentium cathedra cum Carrachii decessu vacuefacta esset, NOSTER ad eam ascendendam evocatus est. Eodem fere tempore primum, ut comitis Benthemio - Teclenburgensis filium reciperet instituendum, ac deinde, ut comitem quendam de Gronsfeld,

*) d. viii. Octobr. MDCCLXIII.

**) d. xvii. Decembr.

Hollandia oriundum, Academiae dum operam daret atque loca externa inviseret, comitaretur, haud spernendis invitatus est conditionibus: verum enim vero BUCHERUS cum speraret consideretque, fore ut in ipsa patria, simul atque occasio aliqua se offerret, munceri meritis suis accommodato praeficeretur, provinciam, quam suscepserat administrandam, ut desereret, nullo modo poterat adduci, idque ne tum quidem, cum anno superioris saeculi LXIX. Eloquentiae Historiarumque Professoris in Gymnasio Academicо Lingae constituto ei offerretur munus. Adeo sane ipsius animus in consilio suo exsequendo erat obfirmatus, ut secunda quoque vice ii, qui Universitatis literariae Teutoburgum tum quidem ornantis curam gererent, frustra eum illuc evocare conarentur; et non nisi cum Kraftius, qui hactenus Professoris iuris in Gymnasio academicо, quod Hammoniae florebat, praefuerat provinciae, Teutoburgum invitatus idem munus ibi suscepisset, NOSTER, cui nulla adhuc in patriam redeundi occasio se offerret, ut in eius locum succederet, permvieri potuit. Hanc igitur novam docendi provinciam, ipsi d. ix. mensis Septembris, anno superioris saeculi

LXXI, delatam Hammoniae, ubi d. xx. Octobris adveniat, d. XII. Novembris administrare auspicatus est, neglecta uberiore conditione, quae ei, Philosophiae quoque, Stenofurti si remanere vellet, Professoris munere ornando, offerebatur.

Iam vero illud instabat tempus, quo laetam illam, quam animo conceperat atque tam diu soverat, spem, fore ut in patriam tantopere amatam revocaretur, providentia divina non amplius irritam esse iuberet: Professor enim iuris in Universitate literaria Rintelensi Reinhardus Abrahamus Moellerus cum anno MDCCCLXXII de vita decessisset, NOSTER, ut tertiam iuris cathedram in illa ornaret, invitatus est; maximaque perfusus laetitia, quod voti factus esset compos, d. VIII. mensis Novembris eiusdem anni Rinteliam se contulit, nec sine plausu suas ibi aperuit scholas. Duos annos post cum Syndici quoque munus in illa Universitate literaria ei esset delegatum, praetereaque stipendium anno MDCCCLXXVIII auctum, non potuit fieri, quin vitae academicae, quam iam antea cuivis alii vitae cursui praferendam censeret, studio etiam magis incenderetur; nec igitur mirum, cum

muneris Consiliarii in regimine conditionem, a vicinarum terrarum principibus et anno LXXIV et LXXVIII ipsi oblatam, recusasse. Neque tamen scholis academicis solum vacabat habendis; sed campum, in quo doctrina sua excurreret, ut quam latissime extenderet, officii sui existimans, causarum quoque suscipiebat defensionem: atque a quibusdam Germanici imperii ordinibus, id ut faceret, rogatus, vel in eiusdem regni iudiciis eorum agebat causas, vel ipsos consilio suo adiuvabat.

A negotiis itaque districtior atque eorum multitudine fere obrutus, ut haberet, cuius consuetudine et familiaritate horis subsecivis exhilararet recrearetque animum, anno superioris saeculi LXXIII *) in matrimonium duxit *Ludovicam Claram Wilhelminam, Kriegeri*, Consiliarii tum temporis Benthemensis in collegio regiminis supremo Rhedaeque degentis, filiam natu maximam, quae non solum, ingenuo ipsum amplexa amore, in eo fovendo omnem ponebat curam, sed quacum etiam haud parvam annorum seriem ea transegit voluntatum

*) d. xiv. mensis Aprilis.

studiorumque consensione, ut eorum quoque vita iis, in ipsorum consuetudinem familiaritatemque qui se magis insinuavissent, documento esset, quam vere Cicero scripserit, cum, „Est, inquit, patriae caritas, meo quidem iudicio, maxima; sed amor voluntatisque coniunctio plus certe habet suavitatis *)“

Viginti quinque annos iam non sine maximo iuventutis studiosae emolumento disciplinas, quibus iurisprudentia continetur, in Universitate literaria Rintelensi tradiderat, cum, ut Professoris iuris provinciam in Academia Marburgensi susciperet administrandam, invitaretur. Haud quidem fieri potuit, quin discessus a tot familiaribus amicisque, quos Rinteliae facilitate sua atque humanitate, suavissimisque moribus sibi comparasset, ipsi esset acerbissimus, praecipue cum iam in ea constitutus esset aetate, in qua ad novas se amicitias familiaritatesque applicare res sane difficillima est; attamen ut, quantum in se positum esset, laetum huius Universitatis literariae florentemque statum iuvaret, omnibus

*) Epist. ad Div. X, 5.

illis rationibus, quae ipsum Rinteliae retinere potuissent, neglectis, Indulgentissimo Principi dicto se praebuit audentem, atque Marburgum se contulit. Neque hic, donec corpori ipsius vigor constabat, in iuvenum literarum studiis deditorum animis doctrina excolendis umquam se praebuit remissiorem; quin etiam tum, cum oculorum acies ipsi aetate provectioni iam esset hebetior, memoria rerum, qua praeditus erat, tenacissima adiutus, preelectionibus habendis doctrinae suae aliis copiam facere, numquam cessavit. Quam firmiter vero vitae academicae, quo tenebatur, amor in animo ipsius insederit, id inde quam maxime palam sit prorsusque perspici potest, quod, cum anno huius saeculi tertio iudicis in tribunali, ubi provocatione certatur, primarii munus Cassellis ut susciperet, invitaretur, ipse, illo repudiato, minus amplio salario contentus in hac nostra Universitate literaria manere, atque Professoris cathedram, dum esset in vivis, ornare preeferebat.

Omnium igitur suorum votorum compos factus, uxore optima et quovis virtutum muliebrium genere ornata, liberisque, iam a primis annis bonam, eamque,

ut eventus docuit, haud irritam spem sui praebentibus,
beatus vitam omnis tristitiae expertem atque fortunatis-
simam potuisset degere, nisi in fatis fuisset, ut suorum
nonnulli ante eum extreum obirent diem. Filia qui-
dem, qua primum orbatus est, *Iustina Catharina*, die
xxvii. Decembris, anno superioris saeculi LXXVIII,
nata, de vita die xvii. Augsti, anno LXXXII, nondum
quadrima decessit; altera vero, quam amisit, *Doro-
thea Elisabetha Iustina*, filiarum ipsius tertia, nata die
v. Ianuarii, anno LXXXIII, in ipso aetatis flore die v.
Ianuarii, anno MDCC., vitam cum morte commutavit:
eiusque memoriae Iustius noster V. S. V. dicavit Ele-
giam illam venerum plenam, quae exstat in ipsius car-
minibus, et in secunda quidem editione p. 59 sq.

Gravissimo vero NOSTER fortunae perculsus est
vulnere, cum ipsi, aetate iam provectioni, atque, cuius
amore curaque soveretur, praecipue indigenti, carissima
uxor morte ercta est: functa autem est illa fato die xix.
Decembris, anno huius saeculi XIII. Neque tamen sic
defuerunt, qui consenescentis animum exhilararent,
atque senectuti eius ingravescenti succurrerent, ipsum-

que, quantum fieri posset, sublevarent. Maxime hoc nomine procul dubio laudanda est BUCHERI filia natu maxima, *Friederica Charlotta Amalia*, nata die xx. Novembris, anno saeculi superioris **LXXVI**, atque cum Iustio nostro felicissimi matrimonii vinculis iuncta, quae in patre amatissimo fovendo eam posuit curam, ut ipse, se viduum esse, paene oblisceretur. Superstites praeterea NOSTRO sunt duo filii, *Fridericus Guilielmus Iacobus*, natus die x. Iunii, anno **MDCCLXXIV**, atque *Carolus Franciscus Ferdinandus*, cuius dies natalis primus fuit dies **xiv.** Iunii, anno **MDCCLXXXVI**, qui profecto ii evaserunt, ut operae in iis educandis atque instituendis positae fructum exoptatissimum perciperet pater, qui suam gloriam filiorum maxime et probitate, et doctrina contineri verissime iudicaret. Namque maior natu iam quidem in collegio, quod Herfordiae in iudi ciis urbanis provincialibusque exercendis versatur, Praesidis locum obtinet; alter vero, a Rege Bavariae Consiliarii aulici dignitate ornatus, apud Erlangenses non sine summo honore Professoris iuris praeest provinciae.

Septem adhuc post carissimae uxoris obitum NOSTER ea, quae ipsi a natura concessa videbatur, mentis tranquillitate transegerat annos, cum illud temporis approximaret momentum, quo, ipse ut abiret e vita, erat in fatis. Quamvis enim animi vigor senectute haud quaquam debilitaretur mutareturque, corporis tamen frangebantur vires sensimque decedebant; oculorum acies in dies siebat hebetior: atque tandem leviori morbo afflatus, vires suas cum sentiret prorsus exhaustas, a suis circumdatus, nonnullis postquam abituri instar porrexerat dextram eorumque manus amplexus erat, *Iam valete, inquit, somnoque fessos ut claudam oculos, mihi concedite; atque tum eodem, quem semper prae se tulerat, undeque erat, quod quam maxime cognoscere* virum vitae integrum scelerisque purum, vultu hilari lactoque, tamquam quieti sese daturus, in lecto se componens, verissimo quidem quievit somno. Semihoram ita placide dormiverat, cum spiritus paulatim desicere arteriarumque ictus languere inciperet; atque haud ita multo post die xxv. mensis Aprilis hora septima vespertina senex quam maxime venerandus morte adeo

miti vitam finivit, ut etiam, cum animum iam exspissasset, corporis habitus quiescenti esset, quam defuncto, similior.

Fato igitur functus, atque suis nobisque creptus est vir, qui non solum eruditione doctrinaque multis facile palmam praeripiebat, sed vitae quoque integritate probitateque morum cedebat nemini. Quanta vero animus eius excultus fuerit subactusque doctrina, quam fideli memoria ea retinuerit, quae ipsi mandavisset animoque percepisset, eius rei documentum vel ultimis vitae annis eo nobis dedit, quod, cum iam ex oculis laboraret eorumque acies esset quam maxime obtusa, tamen examinibus ab ordine iurisconsultorum instituendis numquam non interesset, atque in eis, qui sese stitissent explorandos, tentandis aequa promptum se exhiberet, ac si omne suum otium doctrinarum studio impendere prorsus non cessasset. Neque solum in doctrinis, quibus iurisprudentia continetur, erat versatissimus, sed linguam quoque Latinam optime callebat, eiusque elegantiae usu ita erat exercitatus, ut iam anno superioris saeculi

LXXXIII *) a societate linguae Latinae studium in dies magis excitandi causa Altorfii constituta, qui socius expetiretur adsciscereturque, iudicaretur dignus. Eodem honore auxit eum societas rerum naturalium studiosa Marburgensis, quae ipsum die XXVI. Martii, anno huius saeculi XVII, ut meritorum eius se ostenderet memorem, sodalium honorariorum adscripsit numero. Neque vero haec ipsius merita Indulgentissimum latuerunt Principem, id quod eo palam factum est, quod anno MDCCXV **) ab Electore Augustissimo Consiliarii in regimine intimi ornatus est dignitate.

Quae autem BUCHERI fuerit vitae integritas, quae probitas morum, qualeunque se in amicitia colenda gesserit, quis nostrum est, nisi eius consuetudinis familiaritatisque prorsus fuerit expers, quem fugiat? Multi profecto esse possemus in adumbranda ipsius comitate liberalitateque, quam in amicis atque affinitate consanguinitateque cum ipso coniunctis prodebat tractandis,

*) d. v. m. Septembri.

**) die II. Iunii.

nisi illa una cum ingenua bonitate pectorisque candore
in omnibus eius sermonibus vitaeque actionibus enituisset.
Nihil quidquam arte fictum aut simulatum, nihil callide
~~excogitatum~~ eius animo agitari atque ab ipso proferri
posse, illis prorsus persuasum erat, qui vel semel cum
eo erant confabulati. Modeste de se atque de sua ipsius
rerum peritia ingeniique vi iudicans, atque ab omni
invidia alienus, non solum alios, si quid praecclare egis-
sent, meritis prosequebatur laudibus; sed, si qui ipsi a
vero aberrare viderentur, tam verecunde eos monere
atque suam ipsius sententiam, rationibus, quibus illa
niteretur, additis, proferre solebat, ut illi, se a viro
amicissimo humanissimoque meliora esse edoces, lu-
bentissime faterentur. Omnibus igitur animi perturba-
tionibus cum prorsus vacaret, vitaeque, si quis alias,
esset integer scelerisque purus, haud est, quod miremur,
tranquillum vitae eius statum, quo illa sola beata redi-
ditur, nec mortis umquam perturbatum esse metu, eum-
que, haec cum appropinquaret, aequissimo animo, non
ut diem vitae extremum obitum, sed ut corpus datu-
rum somno, se composuisse.

Man. n. eib (4)

Ave iam, sanctissima anima, atque aeternum salve,
Vir optime, a quo nobis tota vitam instituendi ratione
non illustre solum, quod sequamur, propositum est
exemplum, sed quem omnes fateantur necesse est dig-
nissimum, cuius memoria in omni posteritate remaneat
consecrata.

Dab. in Universitate literarum Marburgensi die xix.
Junii, anno MDCCXX.

INDEX SCRIPTORUM

IOANNIS PETRI BUCHERI

Der gelehrte Selbstmörder.

In Hannöver. Beiträgen zum Nutzen und Vergnügen, 1759.
Nro. 50. p. 791 sq.

Oratio de iuribus S. R. I. Comitum regnantium antiqui stemmatis et insigni inter hos aliosque Comites differentia; Professoris Iurium Ord. in ill., quod Burgo Steinfurti floret, Arnoldino solemniter auspicandae gratia habita d. 17. Dec. 1763.

In Materialien zur Geschichte, Statistik und Topographie der Reichsgrafschaften. V. I. P. 2. p. 205 sqq.

Meditatio iuridica inauguralis de poena talionis (pro Gr. Doct.) Harderovici, 1763. 4.

Continuatio meditationis iurid. de poena talionis: Resp. Rudolph. Gempt, Steinfurtens. Stenofurti 1764. 4.

Progr. de medico digno politiae objecto. Steinfurt.

1765. 4.

Progr. I. de regula iuris pontificii: Spoliatus ante omnia restituendus. Steinf. **1765.** — II. ib. **1766. 4.**

Progr. de iusto civitatis rectore. Steinf. **1766. 4.**

Disquis. iur. I. de notione atque effectu insaniae: qua lectiones suas academicas incipiendas indicat, Steinf. **1766. 4.**

Disquis. iur. II. — — Resp. Lubert. Stuermann. Gildehuso-Benthem. Steinf. **1766. 4.**

Abhandlung von der Klugheit eines Regenten, eine Einladungsschrift zu Anhörung einer Rede auf den Geburtstag Grafen Carls v. Bentheim. Steinf. **1767. 4.**

Oratio de moralitate precum pro salute principis. Steinf. **1768. 4.**

Program. de ceremoniali S. R. I. Comitum antiqui stemmatis in melius reformando. Steinf. **1768. 4.**

Progr. de sponsionibus. Steinf. **1769. 4.**

v. Schottii Unparth. Kritik. P. 15. p. 460.

Dissertatio iur. de imputatione actionis in ira commissae: Resp. Dieter. Broeker. Steinf. 1770. 4.

v. Schott. Unp. Krit. P. 15. p. 461.

Disquis. utrum feudum foeminiū statim reddatur, si femina aliquando admissa. Rint. 1772. 4.

Dissert. de arbitrio iudicis non omnimodo arbitrario: Resp. (pro Lic.) Christ. Schumann. Eschweg. Rint. 1776. 4.

Disquis. de divisione statuum imperii R. G. in corpus Evangelicorum et Catholicorum et legibus fundata et unitati reipublicae nostrae non repugnante. Rint. 1777. 4.

Diss. de diversa homagii in I. R. G. indole diversisque eius effectibus: Resp. (pro Lic.) Io. Georg. Schneider. Eschweg. Hass. Rint. 1784. 4.

Program. de functionum publicarum seu operarum territorialum indole finibusque earum recte regundis. Rint. 1785. 4.

Diss. de infanticidio a matribus in recens natos infantes commisso et quibusdam eius impediendi remediis:

Resp. (pro Gr. Doct.) Car. Gottl. Dan. Clauer. Adv.
Dresd. Rint. 1785. 4.

Diss. de praescriptione servitutum praedialium acqui-
sitive: Resp. (pro Gr. Doct.) Ioan. Dieter. Thulemeyer,
Lippiac. Rint. 1792. 8.

Progr. de seditione coercenda. Rint. 1793. 4.

Progr. academicum in obitum Dr. et Prof. Iur. Car.
Guil. Wippermann. Rint. 1797. fol.

Von den Kirchenständen, vorzüglich nach Chur-
sächs. und Fürstl. Hess. Cassel. Rechten.

In Materialien für alle Theile der Amtsführ. eines Predigers.
Lips. 1797. 8. V. 1. P. 3. p. 295 sqq.

Vom Klingelbeutel.

Ibid. p. 314 sqq.

Die Taufe nach den gemeinen, insonderheit aber
Chursächs. und F. H. Cass. Rechten betrachtet.

Ibid. Vol. 2. P. 1. p. 103 sqq. et P. 2. p. 131 sqq.

Vom Recht der Begräbnisse.

Ibid. P. 3. p. 302 sqq.

Rechtliche Anmerkungen über Kirchenvisitationen.

Ibid. Vol. 4. p. 210 sqq.

Die Simonie, nach kanonischen und protestantischen Rechtsgrundsätzen betrachtet.

Ibid. p. 437 sqq.

Von dem den Pfarr-Wittwen und Kindern gebührenden Sterb- und Gnadenjahre.

Ibid. Vol. 6. P. 3. p. 276 sqq.

Dissert. de compromissi, recepti atque laudi qualitatibus et effectibus: Resp. (pro Gr. Doct.) Ioan. Georg. Lib. Wippermann. Rint. 1797. fol.

v. C. G. Hübneri et C. A. Tittmanni Bibliothek kleiner iurist. Schriften. Vol. 1. P. 2. p. 369.

Progr. de incertis quibusdam et ambiguis medio aevo imperatoris et procerum imperii iuribus. Marb. 1804. 4.

v. Duysingii Annal. Fasc. 5. p. 27.

Etwas von Professoren der Musik.

In Hess. Denkwürdigkeiten. T. 4. Par. 2. p. 176 — 182.

His accedunt symbolae plurimae ad Ephemerides literarias Teutoburgi quondam editas, et ad commentarios iurisprudentiae iudiciorumque rationis illustrandae causa Lemgoviae anno saeculi superioris 88 et 89. in lucem emissos, ab ipso collatae.





Resp. (pro Gr. Doct.) Car. Gottl.
Dresd. Rint. 1785. 4.

Diss. de praescriptione servitutis
sativa: Resp. (pro Gr. Doct.) Ioan.
Lippiac. Rint. 1792. 8.

Progr. de seditione coercenda. I.

Progr. academicum in obitum I.

Guil. Wippermann. Rint. 1797. fol.

Von den Kirchenständen, vor
sächs. und Fürstl. Hess. Cassel. Re

In Materialien für alle Theile der

Lips. 1797. 8. V. 1. P. 3. p. 295 sqq.

Vom Klingelbeutel.

Ibid. p. 314 sqq.

Die Taufe nach den gemeinen
Chursächs. und F. H. Cass. Rechte

Ibid. Vol. 2. P. 1. p. 103 sqq. et P.

Vom Recht der Begräbnisse.

Ibid. P. 3. p. 302 sqq.

Rechtliche Anmerkungen über

Ibid. Vol. 4. p. 210 sqq.

uer. Adv.

um acqui-
ulemeyer,

4.

Iur. Car.

ch Chur-

es Predigers.

cheit aber

et.

1.

sitationen.

